

Vg  
4696









181. 191.

1681

17 J. Georg Maebü

Vg  
4696

**RECTOR**  
**UNIVERSITATIS LIPSIENSIS**  
 Ad  
**ANNIVERSARIAM**  
**MEMORIAM REFORMA-**  
**TIONIS SALUTARIS, SUPE-**  
**RIORI SECULO,**

*Anno MD XVII. die XXXI. Octobris,*

*in Vigilia omnium Sanctorum,*

*à B. LUTHERO feliciter*  
*fusceptæ,*

*in Templo Paulino castino die recolendam,*


**Utriusque Reipubl. Proceres, ut &**  
**cives Academicos**

*humaniter, & officiosè invitat.*

*De veteri ecclesia dogmatibus Lutherana  
non aliena  
s. De Religione Lutherana novitates  
falsè accusata*






 Olemne est Pontificiis, inprimis Jesuitis, Religionem nostram Orthodoxam sub hoc prætextu aliis suspectam, & exosam reddere, quod non sit vetus illa Apostolica, sed prorsus *NOVA*, quia cœperit demum A. 1517, & non multum excesserit integrum seculum. Ita Bellarmin. Tom. II. l. 4. de Eccles. c. 5. p. 213. Idem alii clamitant. *Verè dicere possumus*, ait Ulenbergius in XXII. Causis, Caus. 4. p. 68, *quod nunquam inde à Christi temporibus usque ad Lutherum unicus cœtus, aut communio sub sole fuerit, quæ per omnia in doctrina, & ceremoniis sic senserit, & statuerit, quemadmodum ad hodiernum usque diem dicti Evangelici in Sectis suis sentiunt, & statuunt.* Et p. 70. sic rem omnem concludit: *Si dicti Evangelici sunt vera Dei Ecclesia, necessariò sequitur, quòd inde à Christi temporibus usque ad illos nulla Ecclesia in terris extiterit.* Ratio: Nam illorum similes per omnia (quoad corpus doctrine) in doctrina, & ceremoniis ante hæc tempora nunquam inventi sunt; Sin autem vera Ecclesia ante eorum tempora extitit, tunc ipsi hæc Ecclesia esse non possunt. Illorum enim existentia nova est, & ante prædictos paucos annos primùm incepit. Similem etiam in modum discurret Lessius in Consult. Cathol. & p. 61. inter alia id ipsum inde conatur evincere, quia possit nominari primus ejus author, & locus, & tempus, & modus, quo sit introducta, & ostendi, quoniam se illis opposuerint, &c. quæ omnia sint clarissima signa novitatis. Idem urget Costerus in Enchirid. c. II. p. 79, Coturius in Demonstrat. Cathol. p. 16, ut alios taceamus. Et nullus ferè est ex Apostatis, qui à nostra orthodoxa Religione ad Pontificiorum castra transfugas hæcenus egerunt, qui non hõ argumentum nobis opponant. Sed novitatis exprobratio non turbet quenquam, quoniam idem crimen olim quoque intentatum fuit doctrinæ Christi, & Apostoli Pauli. De illo exclamarunt Judæi Marc. I. 27: *Quanam hæc est NOVA doctrina?* Ex hoc quæsierunt Athenienses Act. XVII. 19: *Possimus ne scire, quanam sit NOVA illa, quæ abs te proponitur, doctrina?* Idem si nobis, qui utriusque doctrinam sincerè amplectimur, profitemurque, & ab ea nihil alieni unquam docuimus, nec adhuc docemus, obtingit, quid mirum est? Novitas autem hæc non est vera, sed tantummodò apparens, quippe quæ talis non est, sed illis saltem ita videtur, qui erroribus veteribus sunt innutriti.

Quæ verò nobis objiciuntur, facilè disploduntur, & in fimum abeunt. 1. Lutherus non fuit primus Religionis nostræ author, sed saltem assertor, & instaurator. Authorem ejus agnoscimus Christum, & illius





illius vocem in Scripturis resonantem, ad quam Lutherus, ceu fidelis hodegeta nos revocavit. Necessariò ergò hìc distingvendum est *inter Religionem, vel Ecclesiam novam, & renovatam, institutam, & restitutam.* Nova minimè est Ecclesia nostra, sed renovata, non noviter est ante annos 164. instituta, sed restituta. Verum quidem est, quòd in Comitibus Augustanis Anno 1530, Confessio Protestantium Imperatori Carolo V. fuerit exhibita, sed *aliud est doctrina, aliud doctrinae confessio.* Confessio quidem doctrinae nostrae tunc facta fuit, at doctrina illa ipsa est, quam Christus nobis proposuit, & quam Apostoli nobis commendarunt. Nemini igitur nova nostra doctrina videri debet, aut potest Religio, nisi cui Christus novus, & Evangelium novum, sed qui Pauli concionem veterem esse noverit, Jesum Christum mortuum propter peccata nostra, & resurrexisse propter justitiam nostram, *Rom. IV. 25,* is nihil apud nos novi deprehendet.

Neque idcirco necessarium est, ut monstretur una Ecclesia, quae ante Lutherum idem per omnia nobiscum docuerit. Sufficit, quod in ipsis etiam papatus tenebris manserit aliqua Electorum Ecclesia. Non *nova* igitur, sed eadem cum illa habemus Biblia: Non *novum*, sed eundem cum illa habemus *baptismum*: Non *novam* habemus fidem, sed quam in V. & N. Testam. omnes verè fideles habuerunt. Credimus enim *nos per gratiam Dei salvari, non secus ac illi, Act. XV. 11.* Non *novam* habemus Coenam, sed quam ab initio statim Apostoli administrarunt: Non *nova Symbola*, sed vetera illa, Apostolicum, Nicenum, & Athanasianum, quae firmiter amplectimur: Non *novum* cultum, sed Deum in essentia unum, & in personis trinum invocamus, ut Orthodoxi semper fecerunt. Viguit itaque Religio nostra in V. Testamento, ubi eidem addicti fuerunt omnibus temporibus usque ad Christum in carne exhibitum pii Patriarchae ante, & post diluvianum, Prophetæ, Reges orthodoxi, Deumque timentes, & innumerabilis fidelium Judæorum populus, ac caterva. In N. Testamento floruit quoque nostra Religio temporibus Apostolorum, & aliquandiu post. *Quarto quidem à nato Christo seculo paulisper ab antiqua fidei sinceritate, & simplicitate discessum est, sed ipsum fidei fundamentum tum nondum planè defecerat. Non enim statim, sed paulatim facta est Apostasia AntiChristi, & immutata à Pontificibus Romanis Religio; serpens enim illa Apostasia extitit instar*



veneni, quod interdum diu fatis latitat, donec tandem vires sumat majores, & cor suffocet.

2. Quod porrò obijciunt, Religionem nostram ante *Lutherum* non fuisse, id falsum est. Conservata enim fuit *partim* in Ecclesia Romana papali tyrannide pressa, *partim* extra eam. In Ecclesia Romana Deus semper sibi semen sanctum, & populum electum conservavit, uti paulò ante ostendimus. Nam ad hunc pertinent 1. *Infantes baptizati*, qui Ecclesiae veræ non sunt pars minima. Jam verò baptismi Sacramentum quoad substantialia sub papatu mansit integrum. Infantes ergò per illud verè fuerunt regenerati, ac hæredes vitæ æternæ scripti. Illorum autem aliquot myriades in infantili ætate vitam cum morte commutârunt, anteqvam falsis dogmatibus fuerunt imbuti, & seducti. 2. *Simplices* quidam Christiani, qui repudiatis errorum papalium corruptelis, doctrinam, quam ex Prælectionibus pericoparum Evangelicarum, item ex Symbolo Apostolico, & ex meditatione historię de passione Christi perceperunt, retinuerunt, illamque verâ fide sibi applicârunt. Fuisse autem superioribus seculis tales occultos Christi discipulos, qui præ metu inquisitionis publicæ silere coacti fuerunt, ostendunt murrinationes de tyrannide Papæ, & querelæ de corrupto Ecclesie Romanæ statu, ac repentina approbatio doctrinæ per Lutherum à sordibus papalibus repurgatæ. 3. *Publici, & constantes veræ fidei assertores*. Excitavit enim Deus singulis seculis aliquot publicos, & constantes veræ fidei Confessores, qui papatui publicè se opposuerunt, quorum quidam usque ad sanguinem illi resistentes Martyrii coronam reportârunt. Tales benè multos enumerant *Authores historia Ecclesiastica Magdeburgensis, Flacius in Catalogo Testium veritatis, & Wolffius in Lection. Memorabilibus*. Unum, vel alterum saltem adducamus exemplum. Anno 1374. vixit *Franciscus Petrarca*, vir apprimè doctus. Is in *Epistola vigesima*, quam adducit laudatus *Wolffius Tom. I. Lection. Memorab. p. 567 edit. noviss.* appellat *Papæ Curiam Babylonem, & meretricem Babylonicam super aquas sedentem, matrem omnium idololatriarum, & scortationum, cum qua scortati sint Principes, & Reges terræ, asyllum hæresium, & errorum &c.* Idem ad Amicum: *Unde nunc ordiar, an verò non ordiar, in dubio est, & poëticum illud itentidem occurrit: Eloquar, an sileam? Loquar tandem, ne fortè de silentio suspiceris, te aut per desidiã negligi, aut per insolentiam contemni; Sed quid primum, & quid peni-*



penitus loquar, tam diversa certatim, & me urgent, & se invicem pre-  
 munt, impediuntque concursum. Non vacat omnibus obsequi, & si va-  
 cat, minimè tutum erit, vel solus timor calamum excusat. Paulò post:  
 Quidnè autem id accidat, ubi nemo est, cui verum verbum absque gra-  
 vi convitio dici possit? Ubi nulla pietas, nulla charitas, nulla fides habi-  
 tat? Ubi tumor, livor, luxus, avaritia cum artibus suis regnant, ubi pes-  
 simus quisque provebitur, munificus prædo ad cælum tollitur, justus pau-  
 per opprimitur, ubi simplicitas amentie, malitia sapientie nomen habet.  
 Ubi Deus spernitur, adoratur nummus, calcantur leges! O mores hominum,  
 ô seculum nostrum! Cum Electores, Principes, & status Evangelici  
 Schmalcaldie Anno 1577. congregati essent, tunc Oratori, & ViceCan-  
 cellario Cæsareo Matthiæ Heldio inter alia responderunt, multos præ-  
 stantes pios, & prudentes viros jam inde à temporibus antiquis de abomi-  
 nationibus, & abusibus Pontificiis fuisse conqvestos, ap. Hortlederum l. I. c. 26.  
 p. 101. Qui plura hîc desiderat, conferat laudatum D. Wolffium T. I. Le-  
 ction. Memorab. Centen. XIV. p. 485. seqq. & D. Gerb. T. I. Conf. Cathol. p. 95.  
 seqq. quem incomparabilem, & utilissimum ejus laborem hæctenus  
 nemo ex Pontificiis refutare ausus fuit, imò Jesuita Vitus Erbermann.  
 palàm fatetur, quòd non possint, quando in Proæmio vindicati Bel-  
 larm. p. 4. ita ait: Spissos istos IV. Tomos Gerhardi de Conf. Cathol.  
 ad examen revocare, quid esset aliud, quàm stulto se conficere labore!

Extra Ecclesiam Romanam conservata fuit nostra Religio  
 in aliis integris Ecclesiis. Duas tantùm hæc vice nominabimus,  
 quarum prima fuit Waldensium, cui nomen dedit Petrus Walden-  
 sis. De hoc Thuanus l. VI. pag. 288. & 289. ita: Petrus Walden-  
 sis, locuples civis Lugdunensis Anno Christi 1170. Waldensibus nomen de-  
 dit. Is, ut monumentis testatum reliquit Vitus Perpinianus præsul Lo-  
 devenfis (edit. Genev. legit, Elnensis) qui quæstoris in Waldenses mu-  
 nus exercuit, domo, ac bonis relictis totum se Evangelica professioni devo-  
 verat, & prophetarum, atq; Apostolorum scripta populari linguâ verenda  
 curaverat, antiquorum etiam Patrum aliquot testimoniis adjunctis, qui-  
 bus in animum defixis, ingenio suo & sensu fretus prædicationis munus  
 sibi sumpserat, perq; plateas, & vicos Evangelium plebi interpretabatur.  
 Tantos autem progressus fecit Waldensium Religio, ut non tantùm  
 multi docti viri sese illi adjunxerint, sed etiam integræ Provinciæ in  
 Gallia, Hispania, Italia, Anglia, Germania, Polonia, Livonia, Belgia,  
 Bohemia, Austria, Silesiâ, Saxonia &c. hanc amplexi fuerint, quòd

obior

);( 3

luculen-



Inculenter ostendit D. *Dannenbauer* in disp. de Eccles. Waldens. Artic. 3. Imò *Reiner*. contra Waldens. c. 3. p. 299. palàm asserit, *nullam ferme esse terram, in qua secta (Waldensium) non sit.*

*Waldensium* autem dogmata præcipua consona fuere nostris, quod patet ex ipsorum Confessione, quam *Francisco Regi Gallia* exhibuerunt. Proponit hanc laudatus D. *Gerhardus Tom. V. LL. de Eccles. p. 941.* Conferatur etiam hîc D. *Dannenbaueri allegata disput. de Eccles. Waldens. Artic. IV. §. 1. seqq.*

*Altera Ecclesia, in qua nostra ante Lutherum conservata fuit, est Ecclesia Græca, quæ itidem Pontificis Romani fastum, ac dominationem semper improbavit, quæ etiam adhuc quotannis Dominicâ Quadragesimæ illum excommunicat. Refert Joh. Mandevilla l. I. c. 12, Johann. XXII. Pontificem Romanum prolixè scripsisse ad Græcos, unicam tantum esse Christi Ecclesiam, cujus sit ipse caput universale, & Christi in terris vicarius unicus, quem & ipsi agnoscere debeant; Rescriptum verò ab ipsis fuisse hunc in modum: Potentiam tuam summam erga tuos subditos firmiter credimus, superbiam tuam summam tolerare non possumus, avaritiam tuam explere non valemus; Diabolus tecum, quia Dominus nobiscum! Græca autem Ecclesia non fuit angustiis terminis inclusa, sed longè, lateqve propagata, ac per remotissima in Oriente loca disseminata, adeò, ut non desint testes fide digni, qui perhibent, duplo vel etiam triplo superatam fuisse ab Orientali Ecclesiam Occidentalem, iis etiam temporibus, quibus Papatus in *ἀρχὴν* sive vigore fuit constitutus. Confer D. *Gerhard. Tom. V. LL. de Eccles. p. 942.* Quamvis verò Græca Ecclesia non sit omninò ab omnibus erroribus immunis, tamen non fuit demersa in tantam idolomania, & errorum voraginem, quâ Romana est absorpta. Ut enim constat ex *Actis Tubingensibus cum Jeremia Patriarcha Constantinopolitano*, hodierna Ecclesia Græca damnat primatum Pontificis Romani, quod ipse quoque *Bellarminus* testatur, l. 2. de Rom. Pontif. c. 12. resp. ad 4. Nihil argumentum, ubi ita scribit: Hoc tempore Græcorum pertinacia non permittit, ut Papa Romanus Antiochia, & Alexandria Episcopos ordinet. Agnoscit prætereà Ecclesia Græca Majestatem divinam Christo secundum carnem esse datam, negat purgatorium, recipit communicationem sub utraqve, improbat Missas privatas, & sacrificia pro defunctis, in sacris utitur lingua vernaculâ, approbat conjugium sacerdotum, &c.*

Proinde



Proinde si vel maximè sub Papatu nulla fuisset vera Ecclesia (cujus contrarium tamen paulò ante ostendimus) non tamen prorsus in mundo expirasse, aut defecisse Ecclesiam Christi judicandum est. Occidentem duntaxat Anti-Christianum Papæ regnum occupavit, Orientem verò nunquam, ne illis quidem temporibus, quibus Orientale Christianorum Imperium fatiscere cœpit. Contra omnem ergò veritatem Pontificii Ecclesiam nostram Orthodoxam novitatis calumniâ traducunt, & in libero aère nuper tantùm extitisse garriunt, ut nugatur Pistorius in Hodeget. Cap. IV.

Potiori jure nos asserere possumus, ipsos Pontificios à vera primitiva Ecclesia descivisse, & novam Ecclesiam constituisse. Hoc ut probemus, nobis non erit difficile. Nam multi ex ipsis Pontificiis veritatis coacti fatentur, in Ecclesiam Romanam multas novitates esse introductas. Johannes Aventinus l. 3. Annal. p. 278, edit. Ingolst. hac de re talia commemorat: Postquam Columbanus, & Gallus Monachatum in Germaniam introduxerant, Imperator Lotharius circa Annum Christi 670. multa reformavit, Conventus sacerdotum, inquit, coacti sunt adversus Columbani, & Galli novas ceremonias, quibus populum Christi sanguine redemptum, liberatumque in servitutem redigere, atque onerare contra Majorum instituta conarentur. Nauclerus Vol. 2. Generat. 27. loquens de temporibus, quæ Henricum I. & Ottonem Magnum antecesserunt, imitatus Platinam, quem citat, palàm fatetur, Pontificii illius temporis à vestigiis B. Petri multùm discessisse, & quod Respubl. Christiana ignaros, ac desidiosos Principes habuerit. Horror, inquit, est audire, quàm multa perperam per viginti octo fermè Pontifices sint admisa! Sed chartæ angustia non permittit, ut plura in hanc rem adducamus testimonia. Qui volet, legat D. Gerb. Conf. Cath. l. 2. special. part. I. pag. 1157, seqq. & D. Nicol. Hunnium in Apost. Roman. Eccles. ubi cap. III. à p. 44. usque ad 363 prolixissimè hæc Novitates Romanæ Ecclesiæ ostendit.

Satis exinde patet, accusationes Pontificiorum planè esse injustas, & frivolas. Nos enim certissimi sumus, Religionem nostram à B. Luthero non esse noviter institutam, sed restitutam, & ab erroribus Pontificiis tantùm purgatam. Aliud enim est novare, id est, res novas antea planè incognitas, & inusitatas introducere, aliud autem renovare, id est, res antiquas, temporis injuriâ, & hominum incuriâ collapsas in pristinum statum reducere. Candela, cujus elychnium



19 4096  
lychnium emunctorio purgatur, novam quendam lucem videtur de-  
se emittere, cum tamen sit eadem candela, licet clarius splendeat  
Sic fumos, & nebulas errorum à luce Catholicæ fidei *Lutherus* fustu-  
lit, ut in Ecclesia splendorem suum clarius, & augustius exerat.

Hoc itaque est singulare, & ingens istud beneficium, quod clemen-  
tissimus Deus hisce ultimis temporibus per organum suum electum,  
*B. Lutherum* nobis exhibuit. In tenebris enim sedebamus, & in illis  
ambulabamus, quia lumen verbi divini per varias traditiones huma-  
nas, & corruptelas erat obscuratum. Repurgavit hoc lumen lauda-  
tus *Megalander*, & pristino suo nitore restituit. Hujus itaque ines-  
cabilis beneficii memoria nunquam animis nostris elabatur, sed su-  
premo DEO cotidie decentes agamus grates. Rectè hoc etiam  
secum æstimavit *Serenissimus*, & *Potentissimus Saxon. Elector*  
**JOH. GEORGIUS II.** felicissimæ recordationis. Eâ de causa  
per omnes suas ditiones mandato speciali edixit, ut quotannis hu-  
jus divini beneficii memoria in omnibus Templis publicè recolere-  
tur, & misericordissimo DEO labiorum nostrorum holocausta offer-  
rentur. Vestigiis laudatissimi hujus Patris Patriæ insistentis virtu-  
tum, & paternarum ditionum hæres unicus **JOH. GEORGIUS**  
**III.** *Dominus noster clementissimus*, edictum patrium renovavit, &  
idem hoc die ut observemus præcepit. Quia verò in omnibus Templis  
hujus Electoratus, & annexis provinciis DEO nostro hoc die laudum  
præconia dicuntur, hinc Academia quoque nostra pietatem suam  
conjunget, & in Templo Academico publicè, & solemniter hoc in-  
gens celebrabit beneficium. Ea de causa crastino die, DEO dante,  
in dicto templo orationem habebit *Vir Clarissimus Dn. M. GEOR-*  
*GIUS LANI, olim Gymnas. Carponensis in Hungaria Rector, nunc Exul*  
*Christi, de Memoranda Monstri Romani, Papæ sc. strage à B. Luthero,*  
*victoriosè patrata.* Proceres ergò Utriusque Reipubl. ut & Cives  
nostros Academicos, eâ, quâ per est, humanitate amicè compella-  
mus, velint dicto die post peracta sacra matutina ex sacello Nico-  
laitano in templum Paulinum secedere, & nobiscum ora in laudes  
DEI resolvere. Sic enim DEO nostro dabimus ansam, ut verbi  
fui depositum S diutiùs nobis conservet. P. P. die 30. Octobr. Anno  
Christi M. DC. LXXXI.

---

Typis CHRISTOPHORI GUNTHERI.

M.C.



etur de:  
ndeat  
sufstu-  
rat.  
lemen-  
ectum,  
in illis  
huma-  
lauda-  
e inef-  
sed fu-  
etiam  
Electo-  
e causa  
nis hu-  
colere-  
a offer-  
virtu-  
GIUS  
vit, &  
emplis  
audum  
n suam  
noc in-  
dante,  
GEOR-  
ac Exul  
uthero,  
Cives  
pella-  
Nico-  
laudes  
verbi  
.Anno

ULB Halle 3  
004 969 723  


f

VDM











Eccles, c. 5. p. 2  
 in XXII. Cau  
 que ad Luther  
 in doctrina, &  
 ernum usque  
 70. sic rem or  
 necessariò seq  
 clesia in terri  
 corpus doctrin  
 venti sunt; S  
 hae Ecclesia e  
 dictos paucos  
 Lessius in Co  
 vincere, quia  
 dus, quo sit in  
 sint clarissima  
 Coturius in D  
 est ex Aposta  
 transfugas ha  
 novitatis expr  
 quoque inte  
 exclamarunt  
 hoc quæsi ve  
 sit *NOVA* illa  
 usque doctri  
 alieni unqua  
 est? Novitas  
 pe quæ talis  
 bus sunt inn  
 Quæ verò  
 eunt. 1. Luth  
 tem assertor,



, Religionem no  
 is suspectam, & ex  
 postolica, sed pror  
 & non multum ex  
 nin. Tom. II. l. 4. de  
 mus, ait Ullenbergius  
 bristi temporibus us  
 uerit, quæ per omnia  
 admodum ad hodi  
 & statuunt. Et p.  
 t vera Dei Ecclesia,  
 e ad illos nulla Ec  
 per omnia (quoad  
 npora nunquam in  
 ra extitit, tunc ipsi  
 va est, & ante præ  
 modum discurrit  
 n inde conatur e  
 us, & tempus, & mo  
 rint, &c. quæ omnia  
 nchirid. c. II. p. 79,  
 is. Et nullus ferè  
 Pontificiorum castra  
 nobis opponat. Sed  
 idem crimen olim  
 oli Pauli. De illo  
 OVA doctrina? Ex  
 ne scire, quanam  
 si nobis, qui utri  
 ve, & ab ea nihil  
 ingit, quid mirum  
 dò apparens, quip  
 erroribus veteri  
 & in fimum ab  
 e author, sed sal  
 timus Christum, &  
 illius

